

SLEBEN

Ad

89



~~Med. 89.~~

1) Hornemanns Cour

2) Kirschmanns

lagru  
onsc  
rimus  
collego  
posit  
et artem  
di. Plat  
ne Stea  
ate adi  
ordina  
corlica  
one, ci  
e. Hite  
ogicae  
Sua ju  
Princi  
gomit  
omni





JOHANNIS KIRCHMANNI  
RUDIMENTA  
RHETORICÆ,

*Jam antè M d 89*

Pro Schola Lubecensi,  
Nunc denuò

*In aliarum quoque Scholarum  
usum excusa.*



*Mattias ab  
Alpenleben.  
Anno MDC LXX  
incepi d. 23.  
juli.*

BRUNSVIGÆ  
Typis Christophori Friderici  
Zilligeri, ANNO 1650.

*sunt  
et ad  
pan  
cam  
su  
m  
viti  
hage  
Hzi  
nistat  
ratia*





JOHANNIS MARCHMANNI  
RUDIMENTA  
RHETORICAE

Pro Schola Libera  
Nunc Venio  
In aliam Europae Scholam  
transfere

I  
qu  
Ha  
I  
ca  
ren  
pos  
Singu  
ca  
hie  
pen  
ia  
615  
ver







LIBER PRIMVS,  
DE  
INVENTIONE.

CAPUT I.  
DE NATVRA RHETO-  
RICAЕ.

**R**HETORICA est facultas quædam per-  
spiciendi in unaquaque re, quid ad per-  
suadendum aptum sit.

ῥητορικὴ ἐστὶ δύναμις τοῦ ἐκάστου ἔργου ἢ θεωρητικοῦ ἢ  
ἐνδεχομένου πειθάνου. Aristot. lib. i.

SUBIECTUM RHETORICAE, sive materia circa  
quam, est Quæstio quælibet, præsertim civilis.

Hæc duplex est: Finita & Infinita. *κατὰ τὸ ἔξοχον.*

Infinita est, quæ nullis circumstantiis est impli-  
cata, ut, Sit ne uxor ducenda Philosopho; sitne bellum ge-  
rendum; Sintne rei accusandi. Græci ἔργον, Cicero Pro-  
positum vocat. *ἄλλοις ἐπισημασθέντι.*

*ἰσχυρὰ* Finita est, quæ certis circumstantiis est impli-  
cata, ut Sitne uxor ducenda Platoni; Sit ne bellum gerendum  
hieme, & cum hoste valido, idq; in ærarij inopiâ & sociorum  
penuriâ; Sit ne reus Verres accusandus à Cicerone. Græci  
ὕποθεσις, Cicero Causam appellat. *ἐπισημασθέντι.*

615 Partes seu officia Rhetoricæ sunt quinque: In-  
ventio, Dispositio, *ἑρμηνεία* Elocutio, Memoria & Pronun-  
cia. *ἰσχυρὰ*

ἵαξις ἁρξίς Ἀ ἀμνηστικὴ ὑποκρίσις



ciatio : Ex quibus tria priora Stylo subjiciuntur :  
duo posteriora Actioni.

## CAPUT II.

## DE INVENTIONE.

**I**NVENTIO est excogitatio argumentorum,  
quæ ad persuadendum sunt idonea.

Argumentum *πίσις*, juxta Ciceronem, est pro-  
babile inventum ad faciendam fidem. *Cic. de summo*

Argumenta alia sunt Artificialia, alia Inartifi-  
cialia. *Cic. in vita.*

Artificialia sunt, quæ artis beneficio & no-  
strâ industriâ parari atque excogitari possunt:

*ἐν τεχνῶν, ὅσα δὲ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευά-  
σθῆναι δυνατόν.*

Argumenta artificialia sunt trium generum : *λόγοι, ἤθη,  
πάθη.* Rationes vel Argumenta, Mores, Affectus. Ex his  
*λόγοι*, à re ipsâ *ἤθη*, ab Oratore; *πάθη* ad Auditore  
ducuntur.

LOGICA argumenta sunt ipsæ res ac probatio-  
nes, quibus respectu causæ orator utitur ad do-  
cendum. Hæc petuntur è Locis, quorum alii sunt  
Communes omnibus causarum generibus, alij  
Proprii cuilibet generi.

Sunt autem genera causarum tria : *Deliberati-  
vum, Demonstrativum & Judiciale* : quæ ratione audi-  
torum, temporis, officiorum & finis inter se sunt  
distincta. Et licet ex his plura interdum in unâ oratione con-  
veniant

*Facile  
effici*



veniant : semper tamen aliquod genus est primum, quod maxime attenditur. Didascalium, quod nonnulli addunt, proprie ad Logicam Methodum pertinet.

### CAPUT III.

#### DE GENERE DELIBERATIVO.

**G**ENUS DELIBERATIVUM est, quod in consultatione positum, habet in se suasionem & dissuasionem. Ejus finis est Vtile & Inutile.

Solet autem Deliberatio institui non de iis, quæ vel à naturâ vel fortunâ proficiscuntur, aut à nobis effici nequeunt ; Sed quæ sunt in manu & potestate nostrâ. Cujus generis Aristoteles quinque recenset : 1. περὶ πόρων, de pecuniis parandis vel vectigalibus. 2. περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, de bello & pace. 3. περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, de custodiâ regionis. 4. περὶ τῶν εἰσαγομένων καὶ ἐξαγομένων, de iis quæ importantur & exportantur. 5. περὶ νομοθεσίας, de legibus.

Loci Argumentorum sunt, Honestum, Vtile, Iucundum : quibus alij Necessarium & Tutum addunt.

**HONESTVM** est, quod detractâ omni utilitate sine ullis præmiis fructibusq; ipsum per se debet expeti.

Cujus generis sunt primò quæ ad Deum Deiq; cultum spectant : Deinde quæ tum ad Rempublicam, leges ac judicia : tum quæ ad virtutes universas & laudes atq; gloriam pertinent.

*Facile est, in quo quæritur, quia possit et quid non possit  
effici et quam quæ expediat. VTI.*



VTILE est, quod non propter se, sed propter fructum aliquem & commodum expetitur.

IUCVNDVM est, quod voluptatem & delectationem aut animi, aut corporis, aut utriusq; affert.

NECESSARIVM est, sine quo liberi aut salvi esse non possumus: ut sunt Libertas, Dignitas, Existimatio, Pudicitia, Vita.

TVTVM est, quod periculo ac metu vacat, nec commodis alicujus, nec salutis, nec incolumitati officit.

Ratio dissuadendi ex locis contrariis sumenda est.

#### CAPUT IV.

### DE GENERE DEMONSTRATIVO.

GENUS DEMONSTRATIVVM est, quod laudem & vituperationem continet. Ejus finis est Honestum & Turpe.

Laudationes sunt triplices: Personarum, Factorum, & Rerum.

In PERSONARVM laudatione tria tempora consideranda sunt: Id quod vitam antecessit, illud quod vixit, & si naturæ concesserit, quæ in morte aut post eam contigerunt.

Ad PRIMVM TEMPVS pertinet Patria, Parentes, Majores, Prodigia & Oraacula, si quæ nativitatem antecesserint.

In IPSA VITA consideranda sunt tria bonorum genera, Fortunæ, Corporis, & Animi.

FORTV.



DE INVENTIONE.

7

FORTVNAE, ut Educatio, Opes, Dignitates, Clientelæ, Affinitates, Liberorum multitudo.

CORPORIS, ut Robur, Valetudo, Agilitas, Pulchritudo, &c.

Animi, ut Ingenium, Memoria, Industria, Eruditio, Virtutes, & quæ ex virtutibus promanant, rectè facta.

In VLTIMO TEMPORE occurrunt Ætatis spacium, quæ quis dixerit morti vicinus, Mortis tempus & genus, Exsequiæ, Testamentum, & alia hujus generis.

In FACTORVM laudatione iisdem fere utimur locis, quibus in genere Deliberativo. Nam quibus rationibus illic ad faciendum aliquid hortamur, iisdem hic factum laudamus.

In REGVM laudatione non est una ratio. Nam Regiones, Vrbes, & similia ex iisdem ferè locis laudantur, ex quibus personæ. Quod enim in hominibus est Patria, & Genus, id hîc sunt Conditores ac Principes, qui in iis gubernârunt: quod in illis Forma corporis, id in his Situs, Ædificiorum & Vicorum Descriptio, Aëris temperies: quod in illis animi Virtutes, id hîc Fertilitas agrorum, Facilitas commerciorum, Varietas & Vbertas Fodinarum; frequentia, concordia, virtus incolarum; solertia opificum, Reip. Forma, & his similia.

Cæteræ verò res, ut sunt Artes, Scientiæ, Virtutes, ex iisdem ferè locis laudantur, quibus utimur in laudatione Factorum.

Hæc de Laudationibus: quarum omnia contraria in vituperationibus observanda sunt.

CAPUT



LIB. I. RHETORICAE.

CAPUT V.

DE GENERE JUDICIALI.

**G**ENUS IUDICIALE est, quod positum in controversiâ, complectitur accusationem & defensionem. Eius finis est Iustum & Injustum.

Locihujus generis variant pro varietate Statuum. Voco autem STATUM quæstionem non quamlibet, sed eam tantum, quæ ex prima accusatoris intentione & defensoris depulsionem nascitur.

**INTENTIO** est criminis perpetrati objectio, ut: *Fecisti.*

**DEPULSIO** est criminis objecti exclusio aut defensio: *Non feci, aut jure feci, aut id quod tu insimulas, non feci.* Vnde Status triplices existunt: Conjecturalis, Iuridicialis & Definitivus. An sit, Quale sit, Quid sit.

**STATUS CONIECTVRALIS** est, cum de eo, quod factum est, constat, sed quis fecerit, conjecturis quæritur, ut: *An Roscius occiderit Patrem.*

Locos habet duos: Voluntatem & Facultatem.

**VOLUNTAS** est animi inductio ad faciendum aliquid vel cum ratione, vel sine ratione. Vnde ejus species duæ: Impulsio & Ratiocinatio.

**IMPULSIO** est, quæ sine cogitatione per quandam animi perturbationem facere aliquid hortatur: cujusmodi sunt Amor, ira, odium, vindictæ cupiditas, vinolentia, &c. v.g. *Clodius Milonem odio prosequabatur. Ergo illius mortem optabat.*

RATIO.



## DE INVENTIONE.

9

**RATIOCINATIO** est exacta & diligens faciendi aliquid, vel non faciendi consultatio, commodi alicujus adipiscendi, vel incommodi devitandi causâ instituta: ut sunt Spes efficiendi, Opinio celandi, &c. v. g. *Clodio proderat mors Milonis: Ergo verisimile est, Clodium fecisse insidias.*

In consideratione autem Voluntatis præcipuè spectanda est personæ qualitas & conditio, quæ ex ratione naturæ & fortunæ æstimatur: ut, quâ ætate quis sit, unde natus, quomodo educatus, cum quibus versatus, cui vitæ generi assuetus sit, & alia hujus generis.

**FACULTAS** est potestas & copia perpetrandi. Ejus vis partim ex ratione bonorum naturæ ac fortunæ & ipsa æstimari, partim è signis & circumstantiis spectari debet.

**SIGNUM** est documentum facti externum, quod crimen efficit suspiciosum.

Signa sunt triplicia: Aut enim factum antecedunt, ut apparatus, colloquia, convivia, emptum venenum, &c. Aut consequuntur, ut ignis restinctus, telum abjectum, claves aut vestes relictæ, anhelatio, fuga &c. aut coherent cum facto, ut vox audita, gladius districtus, armorum strepitus, scilicet oppositæ, &c.

**CIRCUMSTANTIAE** sunt res circumstantes, h. e. Negotiorum attributa, ut Locus, Tempus, Occasio, Modus, Instrumenta, & quæ sunt ejusdem generis. *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

**STATUS JURIDICIALIS** est, cum de eo, qui fecit, constat, sed jure, an injuria quid factum sit aut

A s

fiat.



fiat, quæritur: ut Juréne Brutus ac Cassus Cæsarem interfecerint.

*status romanus status horum*  
 Hic Status est duplex: Rationalis & Legalis. Ille ratione nititur: Hic Legis scriptive autoritate.

RATIONALIS rursus duplex est: Absolutus & Assumptivus.

*absolutus*  
 ABSOLUTUS est, cum rem, quam nos fecisse confitemur, jure factam dicimus, sine ullâ assumptione extrariæ defensionis: ut, *Occidi, sed insidiatorem, sed latronem, sed adulterum, sed transfugam, sed hostem.*

Locos habet sex: Ius naturæ, Legem divinam & humanam; Consuetudinem, Æquum & bonum, Iudicatum sive exemplum, & Pactum.

ASSUMPTIVUS est cum factum non ullo jure scripto, sed quadam æquitate defendimus.

Ejus partes sunt quatuor: Comparatio criminis, Relatio, Remotio, & Concessio.

COMPARATIO CRIMINIS est, cum ostendimus è duobus alterum fuisse agendum, & quod à nobis factum est, satius fuisse fieri: ut si Mancinus fœdus Numantinum sic defendat, quod periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus Romanus.

*relatio*  
 RELATIO CRIMINIS est, cum culpam in personam confertur, quæ malum perpeffa est: ut, Horatius in sororem à se interfectam culpam conferebat, quòd ea hostem populi Romani interemptum intempestive flevisset.

*remotio*  
 REMOTIO CRIMINIS est, cum culpam vel in rem conferimus, quæ in iudicium vocari nequit; vel in personam, quæ non acceperit ipsam et malum: ut cum Antipho Terentianus excusat se patri Demiphoni de du-

ctâ



## DE INVENTIONE.

·II

*Et uxore, quod id fecerit legibus coactus: Item, cum Opimus accusatus, quod occidisset Tiberium Grachum, respondet, se hoc fecisse jussu consulis.*

CONCESSIO CRIMINIS est, cum factum non defendimus, sed condonari atq; ignosci nobis petimus. Ad eamque rem utimur Purgatione & Deprecatione.

*Purgatio* est, cum reus negat se aliquid consulto fecisse, & culpam rejicit vel in Fortunam, vel Imprudentiam, vel Necesitatem.

*Deprecatio* est, cum culpam fatemur, sed ad misericordiam confugimus.

LEGALIS STATUS est, cum de jure aliquo publice aut privatim scripto controversia nascitur: cujusmodi sunt Ambiguum, Scriptum & Sententia. Contrariae leges.

*Ambiguum* est, cum quid senserit scriptor obscurum est, quod scriptum duas pluresve res significet, ut, si quis amico leget taurum, & post mortem testatoris legatarius petat servum, cui nomen Taurus, cum haeres tantum bovem illi legatum dicat.

*Scriptum & Sententia* est, cum aliud scriptum est, & alia mens videtur scriptoris; & unus scripto, alter sententiam scriptoris nititur. v.g. Lex est, Peregrinus si murum conscendat, moriatur. In oppugnatione urbis murum conscendit; rem praeciare pro civibus gessit, atq; hac propter praemium expectat. At milites reliqui invidia perciti illum capitis accusant. Hic quaeritur, An murum conscendens contra legem faciat? Adversarij tuentur se ipsos praesertim, Reus confugit ad *Agnoivon*, & negat hanc esse Legislatoris mentem.



mentem; quam actores fingunt; sed si conscendat nullâ de causâ Reipublicæ, sed vel dolo malo, vel etiam animi & levitatis causâ: id quod inficiatur adversarius.

*scribis ad Titum* CONTRARIAE LEGES sunt, cum duæ pluresve leges inter se, vel eadem lex secum videtur discrepare, non quod lex legi contraria sit jure ipso, sed quia leges casu colliduntur & eventu. v.g. Lex una est: *Vir templum Cereris ne ingreditor: Et altera: Qui parentibus opem non tulerit, capitalis esto. In templo Cereris matris vim patienti opem tulit ingressus filius: accusatur violatae religionis:*

STATUS DEFINITIVUS est, cum de re quidem constat, sed quo & genere censenda sit & nomine appellanda, ambigitur: v.g. *Sacrilegus, an fur sit, qui pecuniam privatam è loco sacro eripuit.*

In hoc statu definitio nostra comprobanda, & adversarii refellenda est. Ratio verò astruendi & destruendi è Logicis petenda.

## CAPUT VI. DE LOCIS CAUSARUM Communibus.

Hætenus de Locis cuilibet causarum generi propriis dictum est: Loci verò communes omnibus generibus causarum sunt Possibile, & Impossibile, Magnum & Parvum.

POSSIBILE est, quod cum nondum sit, fieri tamen à nobis potest: ut, *Mithridates vinci potuit à Syllâ, à Murænâ, à Lucullo. Ergo multò magis à Pompejo, qui omnes virtute superavit, vinci poterit.* Sub hoc loco comprehenditur etiam Facile & Difficile.

FA  
sump  
ci pot  
habem  
lia, eos  
possit, s  
Ma  
esse al  
nestiu  
Per  
nuatio

D

AR  
pe  
munt  
wegu

Hu  
Leges,  
cero om

rum du  
la, Ausp  
strologor  
Conjecto

Alter  
graphæ,  
Rumor. I  
phorum  
omnia tar



FACILE est, quod sine magno aut ullo labore, sumptu, dolore, aut molestiâ, vel etiam citò effici potest; ut Philip. VII. suadet Cicero bellum: Eos consules habemus, eam populi Romani alacritatem, eam consensum Italiae, eos duces, eos exercitus, ut nullam cladem Resp. accipere possit, sine culpa senatus.

MAGNUM & PARVUM est, cum ostenditur, aliud esse alio utilius vel inutilius; honestius vel inhonestius; æquius, vel iniquius.

Pertinent igitur huc Amplificationes & Extenuationes, in quibus tota vis oratoris consistit.

## CAPUT VII.

## DE ARGUMENTIS INARTIFICIALIBUS.

ARGUMENTA INARTIFICIALIA sunt, quæ non operâ nostrâ pariuntur, sed extrinsecus assumuntur: Ἄτεχνα ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεκόμισται, ἀλλὰ παρὰ τῆς φύσεως.

Hujus generis quinque Aristoteles recenset: Leges, Testes, Pacta, Quæstiones & Iuramenta. Cicero omnia hæc quæ sine arte parantur, vocat Testimonia; quorum duo facit genera: Unum Divinum, quo pertinent Oracula, Auspicia, Extispicia, Prodigia, Miracula, Vaticinationes, Astrologorum prædictiones, Responsa sacerdotum, Haruspicum, Conjectorum

Alterum Humanum, ut sunt Leges, Præjudicia, Tabulæ, Syngraphæ, Pacta, Conventa, Stipulationes, Juramenta, Tormenta, Rumor. Item, Sententiæ atq; Autoritates artificum; ut Philosophorum, Poëtarum, Historicorum, Jurisconsultorum, Quæ omnia tamen ad superiora quinque facile possunt reduci. Quo modo



*modo autem singula tractanda sint, videatur Aristoteles in fine lib. 1. Rhet.*

## CAPUT IIX.

## DE ARGUMENTIS ETHICIS.

**S**equitur altera pars oratoriæ Inventionis, quæ versatur circa Argumenta Ethica.

Sunt autem ETHICA ARGUMENTA, quibus respectu potissimum suæ personæ utitur Orator ad conciliandum. Vnde etiam non ineptè Conciliantia dicuntur. Hæc sumuntur partim à Moribus ipsius Oratoris, partim à moribus Auditorum.

*Mores, qui in Oratore requiruntur, ut fide dignus esse videatur, sunt Prudentia, Probitas, Benevolentia.*

*Prudentiam ostendet orator, si modestè, non audacter doceat, aut alios moneat.*

*Probitatè, si virtutes collaudet, vitia reprehendat.*

*Benevolentiam, si præ se ferat singularem amorem & observantiam erga auditores & patriam universam.*

*Mores auditorum variantur quatuor modis.*

I. Ratione Affectuum: aliud enim est  $\eta\theta$  irati, aliud placidi; aliud verecundi; aliud impudentis.

II. Ratione habituum bonorum & malorum; seu virtutum & vitiorum. Alij enim sunt mores, proprietates viri justi & injusti; sobrij & ebrij; fortis & timidi.

III. Ratione ætatum. Alij enim sunt mores adolescentum, alij virosum, alij senum.

IV. Ræ



IV. Ratione fortunæ. Alij enim mores sunt nobilis & ignobilis; alii divitis & pauperis; alij potentis & abjecti; & ut in genere dicam: alij sunt mores fortunati & infortunati.

CAPUT IX.  
DE ARGUMENTIS PATHETICIS.

**T**ERTIA pars Inventionis oratoriæ agit de Argumentis Patheticis. Sunt autem PATHETICA ARGUMENTA, quibus respectu auditorum utitur Orator ad concitandum.

*Passi* sive Affectus, quibus Orator, potissimum utitur, sunt, Ira, Lenitas; Amor, Odium; Metus, Confidentia; Pudor, Gratia; Misericordia, Indignatio; Invidia, Æmulatio. Hos ut certis temporibus ac locis, certisq; in causis excitatos sedare Orator possit, in singulis tria consideranda sunt. I. Qui sint ad quemlibet affectum proclives. II. In quos affectus ferri soleat. III. Quæ res quemlibet affectum excitet. v g. *Qui sint ad iram, amorem, odium &c. proni; quibus irasci, quos amare, quos odisse; & ob quas potissimum res irasci, amare, odisse homines soleant.*

*De his videndus Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum.*







## LIBER SECUNDUS,

De

## DISPOSITIONE.

## CAPUT I.

## DE EXORDIO.

*Gr. τὰς πρώτας λέξεις λέγουσιν*  
**D**ISPOSITIO est idonea collocatio partium orationis. *περὶ ὀρχήσεως*

*ὀρχήσεως* Sunt autem partes orationis sex: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio. *Ἐξ ὀρχήσεως, ἢ ἰσχυρῶς, ἢ ἰσχυρῶς, ἢ ἰσχυρῶς.*

EXORDIUM est orationis initium, quo scopus indicatur orationis, ac præparatur animus auditorum ad auscultandum.

Estq; duplex: Rectum & Obliquum.

*ὀρχήσεως* Rectum exordium est, cum rectà ad causam Orator accedit, & apertè præparat animos ad auscultandum. Id quod fieri solet in causâ bonâ & honestâ. Vulgò *Principium* appellatur.

*ὀρχήσεως* Obliquum exordium est cum non rectà, sed occultè, & quasi per ambages orator animum auditoris occupat, & idoneum efficit. Cujus usus est in causâ turpi, aliter persuasâ; fastidiosa, vel aliàs ad occultandum artificium. Dicitur etiam interdum *insinuatio*.

Exordia plerumque ducuntur, I. Vel à Personâ, sive ejus, qui dicit sive ejus, de quo (h. e. pro



pro quo aut contra quem) dicit, vel ejus, ad quem dicit.

II. *Rebus ipsis*, putâ à dignitate, necessitate, difficultate, utilitate, jucunditate rei, de quâ dicturi sumus.

III. à *Causa*, quæ nos ad dicendum impulit.

IV. à *Tempore*.

V. à *Loco*.

VI. ab *Affectu aliquo*, ut *Lætitiâ*, *Tristitia*, *Indignatione*, *Obtestatione*, *Querelâ*, *Exclamatione*, *Voto*, &c.

VII. à *ῥησις*, vel *Sententiâ*, vel *Apophthegmate*, vel *Proverbio*, vel *Historiâ*, vel *Apologo*.

VIII. *Ab Exemplo* vel simili.

IX. *Ab invocatione Dei*.

X. *A Dicto adversarij* in peroratione vel aliâ alato.

**FINIS** Exordiorum sunt tres: *Benevolentia*, *Docilitas*, *Attentio*.

*Benevolentia conciliatur à Personis: Nostrâ*, *Rei*, *Adversarij* & *Auditoris*.

*A Persona Nostrâ* colligitur *Benevolentia*, si affectum nostrum erga publica commoda, religionem, ipsos auditores, modicè commemorabimus: si ad dicendum vel ducti officio, vel utilitate communi, vel necessitate aliquâ videbimur: si denique de ingenio nostro & nobismetipsis tenuiter sentiemus.

*A Personâ Rei*, si dignitatem ejus, si calamitatem ac infirmitatem proponemus.

B

A Perse



*A Personâ Adversarij*, si eum vel in odium, vel invidiam, vel contemptum adducemus.

*A Personâ Judicium*, vel *Auditorum*, si laudes eorum & præclare facta citra adulationem, & modestè delibabimus; si quæ aliorum de ipsis spes sit, quæ existimatio, aperiemus.

*Attentio* comparatur, cùm nos de magnis & inauditis rebus, de gravibus & ad exemplum pertinentibus dicturos esse pollicemur.

*Docilitas* colligitur, si breviter & dilucidè summam negotii, de quo dicturi sumus, exponemus.

Virtutes Exordii sunt duæ: *Congruentia* & *Modus*.

*Congruentia* est, cùm Exordium ad genus causæ quàm proximè accomodatur, & tanquam ex ipsius rei visceribus sumitur, ita ut non sit alienum, aut longè petatum, non exilè aut nugatorium, non vulgare, aut cum causis commune; sed proprium, peculiare, & tanquam vernaculū.

*Modus* est, ne hoc ipsum vernaculum, & quasi dominatum Exordium pluribus verbis ac sententiis, quàm satis est, producat.

Consistit autem *Modus* intra hos terminos, ut initio ponatur *πρότασις*, cui postea subjicitur *κατασκήνη*, deinde additur *ἀπόδοσις*, postremo *ἀξιωμασις*.

*Πρότασις*, sive *Propositio* Exordii, est summa & velut caput ejus, quod dicere volumus: Estque plerumque *Enthymematis* pars posterior, sive consequens.

κατα



*Κατακλιση*, rationem continet Propositionis: estq; Enthymematis pars prior, sive antecedens.

*Αποδοσις* concludens Enthymema continet aut probationem aut amplificationem, aut ad-  
versativam, quâ occurritur vel objectioni apertæ  
vel cogitationi tacitæ.

*Αξιωσις* sive petitio est, qua nobis impetramus attentionem postulando, ut benignè audiamur. Ut in *Oratione Milonianâ Exordij* *περὶ τῆς* est: Perturbor hac novâ formâ judicij. *Κατακλιση* sive Ratio: quia forum est septum armatis militibus, &c. *Αποδοσις* constans adversativa; sed tamen existimo hæc arma posita esse non contra nos, sed pro nobis & pro communi tranquillitate. *Αξιωσις*: Quare vos hortor, ut deposito armorum metu liberè de optimo cive judicetis.

## CAPUT II.

## DE NARRATIONE.

**N**ARRATIO est rerum gestarum vel ut gestarum expositio.

Hæc locum præcipuè habet in genere Iudiciali, quando nobis de modo rei gestæ cum adversario non convenit. In genere Deliberativo, quod de futuris consultat non utimur Narratione, quæ est præteritarum. Si quam tamen interdum assumit, id fit, ut ex rerum præteritarum commemoratione rectius institui deliberatio possit. Sed nec in Demonstrativo alia incidit, quam intercisa, quæ ad confirmationem pertinet.



Narrationis partes sunt tres: I. *περὶ δὴ γνησις τῶν ἡγεμενῶν*, Expositio eorum, quæ rem factam, seu principale negotium antecesserunt.

II. *Δὴ γνησις τῶν πραχθέντων*. Expositio ipsius rei gestæ.

III. *Ἐπιδὴ γνησις τῶν ἐπορδύων*. Expositio eorum, quæ rem sunt consecuta.

*Virtutes Narrationis sunt Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas.*

*Brevis erit Narratio, si neque plus neque minus dicemus, quàm necessitas rei cognoscendæ requirat.*

*Perspicua efficitur verbis proprijs, & apto ordine.*

*Probabilis, si ad personas, tempora, & locos accommodabitur, & ex communi vitâ & consuetudine desumetur.*

*Suavis, si affectibus, & gestibus convenientibus, quasi quodam sale perspergatur, ut cum quadam admiratione & delectatione audiatur.*

### CAPUT III.

### DE PROPOSITIONE.

*Gr. ἡσπᾶς ἁπλῆς*

**P**ROPOSITIO est pars Orationis, quâ breviter & dilucidè rei summa comprehenditur.

Ea est duplex: Simplex & Composita.

Simplex est, quæ tantum unum scopum habet propositum; & propriè dicitur *Propositio*.

Composita est, quæ rem, de quâ dicturi sumus

in cer-



in certas partes distribuit, & propriè dicitur *Partitio*. Ea fit duobus modis: Nam vel de singulis ordine nos dicturos promittimus, vel omisfis aliquibus, nos de reliquis acturos profiteamur.

Virtutes Partitionis sunt: I. Ut fit plena & perfecta. II. Ut fit plana & perspicua III. Ut fit brevis, nec plura, quàm tria vel quatuor membra complectatur.

## CAPUT IV.

## DE CONFIRMATIONE.

**C**ONFIRMATIO est causæ nostræ artificiosa comprobatio.

In eâ consideranda sunt *Materia* & *Forma*.

*Materiam* vocamus argumenta, ad fidem faciendam accommodata; de quibus supra. In illis disponendis hæc Potissimùm observanda sunt:

- I. Ut delectum habeamus argumentorum.
- II. Ne argumenta nimis constipentur.
- III. Ut cohærentia singulari iudicio instituantur.
- IV. Ut firmiora argumenta in principio & fine, infirmiora in medio ponantur.

*Forma Confirmationis* est *Argumentatio*, quæ etsi quidem multiplex est, Rhetores tamen frequentius *Enthymematibus* utuntur & *Exemplis*, quam integris *Syllogismis*. Si verò usu venit, ut *Syllogismis* utantur, partes ejus non naturali, sed plerumque inverso ordine collocant; interdum etiam tam minori, quam majori propositioni suam probationem addunt; & tunc *Epichere-*  
*ma* dicitur.



## CAPUT V.

## DE CONFUTATIONE.

**C**ONFUTATIO est argumentorum, quæ vel ob-  
jecta sunt, vel verisimiliter objici possunt, di-  
ligens dissolutio.

RATIO solvendi argumenta in Logicis traditur.  
Hic tantum notandum.

1. Firmissima adversarii argumenta primo lo-  
co esse afferenda & refutanda.

2. Ordinem argumentorum, quo adversarius  
est usus, fugiendum esse.

3. Argumenta quæ eodem vitio laborant,  
conjunctim; quæ diverso, singillatim solven-  
da esse.

4. Rationes quæ maximam vim habent ad  
refellenda argumenta, ad postremum reservan-  
das esse.

5. Rarò directè ad argumentum esse respon-  
dendum, nec unquam fallaciarum mentionem  
faciendam.

## CAPUT VI.

## DE PERORATIONE.

**P**ERORATIO est artificiosus orationis exitus ad-  
movendum accommodatus.

Perorationis partes sunt duæ: Enumeratio &  
Affectus.

Enum-



*Enumeratio* est brevis præcipuorum argumentorum repetitio. Græcis dicitur ἀνακεφαλαιώσις. <sup>recapitulatio</sup>  
 Hæc rarò adhibetur in genere Demonstrativo, sæpius in Deliberativo: usitatissima est in Iudiciali: in quo tamen frequentius ea utitur accusator, quàm reus.

*Affectus* hîc vehementiores potissimum usurpandi sunt, & quidem in laudationibus & exhortationibus Amor; in vituperationibus verò, dehortationibus, & accusationibus Odium: in defensionibus Misericordia.

Ex quibus Misericordia ad movendos iudicum animos Reo necessaria est; Indignatio & Odium Accusatori.

Virtutes perorationis sunt Brevitas & Acrimonia,

*Brevem* esse oportet Perorationem, ne mora imminuatur commiseratio.

*Acrem*, ut relinquat aculeos in animis auditorum.







## LIBER TERTIUS.

De

## ELOCUTIONE.

## CAPUT I.

## DE ELEGANTIA.

**E**LOCUTIO est idoneorum verborum & sententiarum ad Inventionem accommodatio.

Ea consistit in Elegantiâ, Compositione, & Dignitate.

*Latine* **E**LEGANTIA est, quæ facit, ut unumquodque purè & *aperte* dici videatur.

Dividitur in Latinitatem & Explanationem.

*Latinitas* est, Sermo purus, & ab omni Vitio remotus.

Huic adversatur Barbarismus & Solæcismus.

*Barbarismus* est, cum verbum aliquod vitiosum, aut peregrinum usurpamus.

Vitiosum, ut *Æternaliter* pro *æterno*; *Cordialiter* pro *ex animo*; *compactata* pro *pacta conventa*. *Correspondere* pro *respondere*. *Desalcare* pro *desecare*. *Econtra* pro *contra*. *Recompensare* pro *compensare*, &c.

Peregrinum, cujusmodi sunt non illa vetera & usu jam frequentata, ut, *Acinaces*, *Gaza*, *Phalanx*, &c. Sed recentiora ista & nequam, quæ ex idiotismo

Ger-



Germanico, Gallico, Gothico, Hispanico, Italico certatim nobis pro Latinis obtruduntur, ut, *Bastardus pro spurio; Liga pro fœdere; Guerra pro bello; Banquetum pro convivio.*

De Græcis verò notandum, non esse ea Latinis temerè miscenda. Nam in *Orationibus*, quæ ad populum habentur, omninò non sunt usurpanda. In *Epistolis* verò & *Dissertationibus* id licitum est, sed cum triplici hac cautione: I. Si sit singularis Emphasis, vel allusio pulchra ad dictum aliquod vel factum Græci auctoris. II. Si velimus aliquid secreti scribere. III. Si is, ad quem scribimus, sit Græcæ linguæ peritus, & eâ delectetur.

In *Commentandi* ratione Græca loca laudare, apprime necessarium est.

*Solæcismus* est prava ac perversa vocum Latinarum usurpatio: Ea que fit tam in verbis singulis, quam in Syntaxi & Phrasi, ut: *Si quis ea, quorum penultima est longa, ut Adulor, Clandestinus, competitor, &c. Corripiat; & ea quæ corripienda sunt, ut Affatim, Apparitor, &c. producat: Item si quis dicat, ultimus paragrahus, pro ultima: Petote, pro peto à te: Facere epistolam pro componere.*

*Explanatio* est, quæ reddit apertam & dilucidam orationem. Consistit in verbis usitatis & proprijs.

Verba usitata sunt, quæ versantur in sermone & consuetudine quotidianâ.

Verba propria sunt, quæ ejus rei verba sunt, aut esse possunt, quâ de loquuntur.

*Explanationi* adversantur cum alia, quæ Ora-



tionem obscurant, ut Sermo ambiguus, nimia Brevitas, & vocabulorum Trajectio: tum verò verba Antiqua & Novata.

Antiqua sunt trium generum: alia Natura, alia Flexu; alia Opinione.

Natura antiqua dicimus, quæ origine talia sunt, nec nova ulla ratione fieri possunt; ut *Forctem pro bono. Topper pro citò. Bitere pro ire, &c.*

Flexu antiqua, in quæis litera duntaxat una atq; altera variatur: ut *Impetrassere pro impetrare; Exsugebo pro exsugam; Posivi pro posui, &c.*

Opinione antiqua, quæ vulgus imperitum, aut indocti obsoleta putant, licet ab optimis auctoribus desumpta.

*Ab Antiquis naturâ omnino abstnendum est.* Antiqua flexu rariùs usurpanda sunt, & quidem cum interfatiuncula quadam vel excufatione, ut *Veteres loquebintur.* Antiqua opinione adeò non sunt vitanda, ut etiam studiosè in usum revocanda, & tanquam gemmæ scriptis intexenda sint; sed interdum. Nam à vulgi consuetudine remota omnibus locis infulcire, cum usitata in promptu sint, mera stultitia est.

Novata quoque non sunt unius generis. Nam vel planè nova sunt, ut *Bombarda, Monachus, Cardinalis, &c.* alia hujus generis: Vel è veterere voce facta, sive derivatione, ut *Musmare, Ipsissimus, &c.* sive compositione ut, *Pietatitrix, triseclisenex, &c.* In illis necessitas spectanda: rebus enim novis imponenda quoque sunt nova nomina. In his autoritas: tutius enim usurpantur novata ab alijs, quàm à nobis. Multa

*hi. emy  
sis vaca  
re.*

*re. e. c. g. o. n. a*

Mul  
sui  
tur.  
  
C  
litas  
E  
pto  
I  
Iun  
607  
tio  
verò  
I.  
lium  
cam  
rum,  
II  
tate  
tulist  
II  
tis u  
ut in  
MANE  
Te tero



Multa etiam à veteribus sunt novata, quæ si ver-  
sui inferantur, laudem; si profæ, culpam meren-  
tur.

## CAPUT II.

## DE COMPOSITIONE

Scriptoribus omnibus  
communi.

**C**ompositio est verborum constructio, quæ facit  
omnes partes orationis æquabiliter perpo-  
litas.

Ea est duplex: Alia Communis omnibus Scri-  
ptoribus, alia Oratorum propria.

In *Compositione* Communi duo sunt notanda:

*Iunctura & Ordo.*

*Iunctura*, alij *Commissuram* vocant, præstat, ut ora-  
tio sit suavis ac sonora; non aspera, nec hiulca. Id  
verò assequemur.

I. Si fugiemus crebras consonantium & voca-  
lium concursiones, quarum hæ *iuncturam* hiul-  
cam, illæ asperam efficiunt; ut *Rex Xerxes, Ars stulto-  
rum, Bacca Eoæ amænissimæ impendebant.*

II. Si vitabimus ejusdem literæ nimiam asidui-  
tatem, ut in illo *Ennij: O Tite tute Tati tibi tanta tyranne  
tulisti.*

III. Si videbimus, ne syllaba vocis præceden-  
tis ultima sit eadem cum prima vocis sequentis,  
ut in illo *Ciceronis: O fortunatam natam me Consule Ra-  
mam.*

*Te tero Roma manna nuda date teta latete*

IV. Si



IV. Si vitabimus talem Syllabarum coitionem, ex quâ nomen conficitur, quod obftet verecundia, quod fecit Virgilius in hoc versu: *quamvis est rustica Musam, pro quamvis sit. Nam visire est βδσιν, vel crepitum ventris edere.*

Ordo consistit in eo, ut verba in suo quæque loco collocentur, quod fit.

I. Si quod vel dignius est, vel naturâ prius præponatur ei, quod indignius est, vel naturâ posterius. Unde *Viros ac feminas, Diem & noctem, ortum & occasum potius in prosâ Oratione dicendum esse, quàm retrorsum, monet Quintilianus.*

II. Si in amplificationibus verbo leviori gravius & significantius succedat, ut in illo Cic. u. Philipp. *Tu istis faucibus, istis lateribus, istâ gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippia nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Rom. conspectu vomere postridie.*

III. Si vitentur inconcinnæ verborum trajectiones, ut *Omnes invidiosè eripuit tibi bene vivendi casus facultates, pro, Casus omnes tibi bene vivendi facultates eripuit.*

IV. Si verbo claudatur sententia, nisi res aut numerus aliud postulet.

### CAPUT III.

### DE PERIODO.

**C**ompositio Oratoria versatur partim circa Periodos, partim circa Numeros.

**P**ERIODUS in latisimâ significatione, est quæcunque verborum complexio è commatibus collisquetur distincta.

Com-



*Comma*, Latinè Incisum, est sententia brevior & imperfectior membro, ut, *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest.*

*Colon*, Latinè Membrum, est sententia longior & perfectior inciso, ut, *Milo domum venit, calceos & vestimenta mutavit, paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.*

Differunt autem *Commata* & *Cola* solâ magnitudine. *Comma* continet se intra septimam vel octavam syllabam. Quæ numerum octo syllabarum excedunt, ea sunt *Cola*. *Colon* autem, quod plurimum, quàm septendecim syllabarum est, dicitur Oblongum  $\chi\omicron\iota\nu\omicron\tau\epsilon\nu\epsilon\varsigma$ . *§. c. in modum funis extensum.*

*Commata* & *Cola* duobus modis connectuntur. Vel naturali ductu, & fit oratio  $\epsilon\iota\epsilon\gamma\mu\delta\eta$ , *Tracta*. Vel cum artificio & conversione, & fit oratio  $\kappa\alpha\tau\epsilon\sigma\pi\alpha\mu\mu\epsilon\nu\eta$ , *versa*.

Oratio  $\epsilon\iota\epsilon\gamma\mu\delta\eta$ , *Tracta* vel *Fusa* est, quæ per se nullum terminum habet, nisi res, quæ explicatur, ipsa jam terminetur. Habet locum in Dialogis, Historijs & Epistolis, &c.

Partes ejus sunt tres: *Corpus*, *Spiritus*, *Extensio*.  $\Sigma\omega\mu\alpha, \pi\nu\epsilon\upsilon\mu\alpha, \tau\acute{\alpha}\sigma\iota\varsigma$ .

*Corpus* est pars orationis fusæ, sed quatuor aut paucioribus membris conclusa.  $\kappa\alpha\tau\alpha\chi\epsilon\nu\sigma\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$  dicitur *Periodus*: ut *Salustius* bello *Catilinario*: *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidère, atque habuère initio Trojanum: qui Æneâ duce profugi sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.*

Spi-



Spiritus est, cum ultra τετρακωλίαν nexus orationis productus unâ vocis contentione absolvitur, ut Cic. pro Domo suâ: *Suscipere tantos animi dolores, atque ea, quæ captâ urbe accidunt victis, stante urbe, unum perpeti: etiam se videre distrahi à complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriæ de nique causâ, patriam ipsam amittere: spoliari populi Romani beneficijs amplissimis: præcipitari ex amplissimo dignitatis gradu, videre prætextatos inimicos, nondum morte comploratâ, arbitria petentes funeris: hæc omnia subire conservandorum civium causâ, atq; ita, ut dolenter absis, non tam sapiens, quàm illi, qui nihil curant: sed tam amans tuorum, quàm communis humanitas postulet: ea laus præclara est atque divina.*

Extensio hos limites spernit, & libero cursu ultra spiritûs angustias procurrat: unde & plura orationis membra connectit, quàm ut unâ prolatione quis complecti queat. Notabile exemplum in Ciceronis Milonianâ, ubi clamat reus: *Occidi, occidi, non Sp. Melium, qui annonâ levandâ jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non Tib. Gracchum, qui collegæ magistratum per seditionem abrogavit, quorum interfectores impleverunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimæ fœminæ comprehenderunt; eum, cujus supplicio Senatus solemnes religiones expiandas sæpe censuit; eum, quem cum sorore germanâ nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se quæstionibus habitis dixit comperisse; eum,*

quis

qui civis  
urbis ac  
extermin  
quibus

Or  
quæ in  
constitu  
ac deter

Huj  
λέξις ἐ  
μεγαλ  
habet  
compreh

Par  
Princip  
vocant

Peri  
alia fin

Simp  
& μονό  
tas nobis  
imitandi

Græci  
Quæ  
vel τρι

si exce  
solutâ  
erit.



qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes  
urbis ac civium conservatorem judicabant, servorum armis  
exterminavit: eum qui regna dedit, ademit: orbem terrarum,  
quibus cum voluit, partitus est, & quæ sequuntur.

Oratio κατετραμμένη Versa est: ἢ ἐν περιόδοις,  
quæ in periodis cernitur; h. e. quæ veras periodos  
constituit, & sententiam justâ quadam descriptione definit  
ac determinat.

Hujusmodi Periodus ab Aristotele definitur,  
λέξις ἔχουσα ἀρχὴν καὶ τέλος καθ' αὐτὴν καὶ  
μέγεθος ὁμοσύνοπλον. Oratio, quæ ipsa per se principium  
habet & finem, tum magnitudinem, quæ uno facile intuitu  
comprehendi potest.

Partes periodi sunt duæ: Ἀρχὴ καὶ τέλος.  
Principium & Finis: alii πρότασιν & ἀπόδοσιν  
vocant.

Periodus est duplex, Alia membris constat,  
alia simplex est: ἢ μὲν ἐν κώλοις, ἢ δὲ ἀφελῆς.

Simplex est, quæ uno membro constat; unde  
& μονόκωλον dicitur, ut Cic. pro Archiâ: Quam mul-  
tas nobis imagines non solùm ad intuendum, verùm etiam ad  
imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores &  
Græci & Latini reliquerunt.

Quæ suis membris constat, vel est δίκωλον  
vel τρίκωλον, vel τετράκωλον; quos limites  
si excedit, certâ tamen προτάσει & ἀποδόσει ab-  
solutâ, non Periodus, sed Periodica Oratio  
erit.

Δίκω-



Δίκωλον Ⓞ five bimembris est, quæ πρώτασιν habet unius membri, & δύοδοσιν alterius membri. Hæc rursus dividitur in ἰσοκῶλον, μακρόκῶλον & βραχύκῶλον five μείξερον.

Periodus ἰσοκῶλον Ⓞ est, quæ constat paribus membris, puta talibus, in quibus est par numerus syllabarum, aut non magna dissimilitudo in syllabarum numero, ut Cic. *Post Redit. ad Quirites*: Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt: vos *spectatum* Ⓞ incredibilem pietate cognitum reddidistis.

Periodus μακρόκῶλον Ⓞ est, in quâ finis est longior principio; ut Cic. *pro Archiâ*: Neq; enim quisquam est tam *aversus à Musis*, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facile præconium patiatur.

Periodus βραχύκῶλον Ⓞ est, in quâ finis est brevior principio, Cic. *Divinat*: Quo ego argumento sperabam, hanc à me molestiam posse dimoveri, id mihi erat adversarium maxime.

Τρίκωλον Ⓞ five Trimembris est, quæ habet πρώτασιν duorum membrorum, δύοδοσιν unius; vel πρώτασιν unius, & δύοδοσιν duorum.

Hæc quoque tripliciter dividitur: nam alia est ἰσόπλευρον Ⓞ, alia ἰσοκέλης, alia ἄνιστον Ⓞ.

Periodus ἰσόπλευρον Ⓞ est, cum omnia membra sunt paria, ut Cic. *de Senect.* *Mihi quidem ita jucunda est hujus libri confectio, ut non modò omnes absterferit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam & jucundam senectutem.*

Periodus ἰσοκέλης est, quæ duo membra habet paria,



paria, tertium verò, quodcunq; illud sit, impar, ut pro Milone: *Magna vis est conscientiae, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint: & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.*

Periodus ἄνι (C) est, quæ omnia membra habet imparia, ut pro Milone: *Quæ si opposita Miloni putarem, cederem temporibus, iudices, nec inter tantam vim armorum, existimarem oratori locum esse.*

Τετρακωλ (C) vel Quadrimembris est, quæ vel τριτάσιον habet unius membri, διπρόδοσιον trium: vel τριτάσιον trium, & διπρόδοσιον unius membri: vel τριτάσιον duorum & διπρόδοσιον totidem membrorum. Primi modi est illud: *Nam cum istos ut absoluant te, rogas; ut pejerent, rogas; ut existimationem negligant, rogas; ut leges populi Romani tuæ libidini largiantur, rogas.*

Secundi modi est illud: *Quem Senatus damnarit; quem populus Rom. damnarit; quem omnium existimatio damnarit: eum vos sententijs vestris absolvetis?*

Tertij modi, pro Quinto: *Eloquentia Hortensij ne me in dicendo impediatur, non nihil commoveor: gratia Sex. Nevij ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.*

## CAPUT IV.

## DE NUMERO ORATORIO.

**N**umerus Oratorius est suavis quædam Orationis modulatio ex apta pedum, tum collocatione, tum varietate proveniens.

C

Aucu-



Aucupamur eum potissimum in principiis & clausulis; rarius in mediâ periodo.

Etsi autem nullus pes est, qui in oratione non adhiberi possit; alii tamen aliis sunt usitatores & elegantiores.

Istiusmodi in initio sunt Spondæus --, Creticus - u - Anapæstus uu - Molossus ---, Pæon primus - uuu, Dochimus u - - u -.

In Clausulis commendantur Ditrochæus - u - u, Antispæstus u - - u, Pæon tertius uu - u -, Ionicus à majore - - uu, Epitritus quartus --- u.

Sed de Numero oratorio notandum.

I. Versus in prosâ oratione fugiendi sunt: Non quod orator versus omninò nullos laudare debeat, sed quod oratio ita formanda sit, ne vel integer versus, vel hemestichium in eâ reperiantur.

II. Fugienda quoque est nimis accurata Numeri observatio.

III. Numerus idem sæpius ne iteretur.

Nihil enim in orationis numero tam vitiosum est, quàm si semper sit idem.

IV. Pedes, qui ex longis syllabis constant, brevium antecedentium celeritate; & pedes qui ex brevibus syllabis constant, longarum antecedentium tarditate corrigendi sunt.







*h. e. ophacta in zugas. fons nubila n. e. fustis.*  
Aëre, ut *Frons serena, pro leta: spirare minas: Tempora nubila, pro infelicibus.*

*g. neque valebat, neque auro argento.*  
Aqua, ut *Plaut. Pseud. Act. 1. Scen. 4. Cui neque parata gutta consilia, neque adeo argenti.* Cic. 2. de Orat. Tardi est ingenij, rivulos consecrari, fontes rerum non videre.

*ne. lat. nam in g. h. g. v. g. z. r. a. m.*  
Terra, ut *Virgil. Vino somnoq; sepultus. Terra filius, pro vili.*

*vel obscuri loco nato. cont. cod. sing. g. q. s. coelo e. h. p. s. q. sub. h. e. apparuit.*  
A Meteoris vel imperfectè mixtis, ut à nubi- bus, à tempestatibus, à pluyijs, à fulmine, à ven- tis. Cic. pro Domo: *Tu procella patriæ, turbo & tempestas pa- cis.* Petron. *Ventosa loquacitas.* Cic. 2. Catil. *Quanta tempestas invidia nobis impendat.*

5. A Perfectè mixtis, ut metallis, gemmis, lapi- dibus, & ijs, quæ è terra nascuntur, ut cum dico: *Auream & ferreum seculum: Lapidem pro stupido: Adaman- tinum pro duro: Florem, pro eo, quod est præstantissimum in quaque re.*

6. A sensibus, puta visu, auditu, olfactu, gustu & tactu, ut *Connivere pro dissimulare, Audire pro obtem- perare, &c.*

*h. e. malum.*  
7. A brutis ad hominem, ut *homo homini lupus. En- nius: animusq; in pectore latrat.* h. e. clamat, Plaut. *Intestina azu- gunt præ fame h. e. n. i. n. i. s. e. s. i. t. i. o.*

8. Ab homine ad brutum, ut cum *Picam & Psitta- cum loquacem, Leonem ambitiosum, Canem assentatorem, Vulpem perfidum dicimus.* *h. e. i. n. i. d. e. m. f. u. s. t. i. n. a. r. e.*

*h. e. v. a. r. i. s. e. t. h. e. f. e. r. e. h. e. e. e. a. t. o. r. u. m. c. o. n. q. u. e. m. a. z. e. f. o. m. c. o. n. t. a. b. e. r. e. f. r. o. n. t. e. m. p. e. r. f. i. c. a. t. e. r. o. s. t. e. m. i. m. p. u. a. l. e. m. e. s. e.*  
9. A Corpore ad animam, ut: *Devorare injurias, e. vomere iram, concoquere odia, exporrigerere frontem, &c.*

10. Ab artibus, ac imprimis à nautica, à cultu- ra agrorum, à venatione, à re equestri, à re me- dica, à re militari, & similibus, ut: *Clavum Reip. te- nere*







*Metonymia causæ Efficientis est, cum vox causam Efficientem propriè significans pro effectu ponitur, ut: 1. Cum Inventor & autor pro ipsis rebus inventis & effectis, & qui præsidet, pro ipsâ reponitur, ut Bacchus pro vino; Ceres pro frugibus; Vulcanus pro igne; Mars pro bello; &c. 2. Cum Scriptores pro ipsis libris & operibus scriptis, ut Cicero, pro Libris ab eo scriptis: Livius pro historiâ à Livio scripta. 3. Cum instrumenta pro effectibus causæ principalis usurpantur, ut: Vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus. Hic oculi pro conspectu, Linguae pro obrectationibus & calumniis ponuntur.*

*Metonymia Materiae est, cum vox materiam propriè significans ponitur pro re ex materiâ confecta: ut Æs, argentum, aurum, pro æneis, argenteis, aureis nummis. Ferrum pro gladio; Abies pro navi; Cornu pro lanternâ corneâ.*

*Metonymia Effectus est, cum vox effectum propriè significans loco causæ efficientis ponitur; ut, Pallida mors, quia facit corpora pallida: Senectus tristis: Adolescentia lata: Frigus pigrum, &c. Alij Rhetores Metalepsin vocant, & peculiarè Tropi speciem faciunt. Quò etiam referunt, cum quasi gradatim itur ad id, quod significatur: ut Virgilius Eclog. 1. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. ubi per aristas spicæ: per spicæ messes: per messes æstates: per æstates anni intelliguntur.*

*Metonymia Subjecti est, cum vox Subjectum significans pro Adjuncto ponitur, ut cum usurpatur; 1. Continens pro re contentâ, ut: Calix pro vi-*



no, XII. tabulae pro legibus, quæ tabulis continentur: 2. Locus pro incolis, vel actionibus in loco peractis, ut *Vrbs* pro civibus, *cælum* pro cælestibus? *Italia*, *Gallia*, *Hispania*, pro *Itali*, *Gallis*, *Hispanis*. 3. Possessor pro re possessa, ut: *Jam proximus ardet Ucalegon*, pro domo *Ucalegontis*. Hunc comedendum vobis propino, i. e. hujus bona. *A me, à nobis* pro domo meâ & nostrâ. 4. Ducis nomen pro militibus, ut: *Alexander vicit Darium*. *Annibal apud Cannas sexaginta millia Romanorum occidit.*

*Metonymia Adjuncti* est, cum vox adjunctum significans pro subjecto ponitur, ut cum usurpatur 1. *Contentum* pro re continente, ut *Virg.* *Vina coronant*, pro vasis, quibus vinum continetur. 2. Nomina virtutum & vitiorum, pro ipsis hominibus virtute & vitio præditis; vel Abstracta pro concretis, ut *Sapientia* pro homine sapiente, *Scelus* pro scelesto: *Avaritia* pro avaro. 3. Signum pro re signata, ut: *Toga* pro pace: *Sceptrum* pro regno: *Fasces* pro imperio consulari.

4. *Tempus* pro iis, quæ in tempore sunt, vel fiunt, ut *Pessimum seculum*, pro hominibus pessimis in seculo viventibus.

## DE SYNECDOCHE.

**S**ynecdoche, Latine Intellectio seu Comprehensio est, cum ex parte totum, & ex specie genus; aut contra ex toto pars, & ex genere species significatur.

Est itaque quadruplex: *Partis*, *Speciei*, *Totius*.  
*Generis*.



*Synecdoche Partis* est, cum vox partem propriè significans loco totius ponitur, ut: *Tectum* pro domo: *Mucro* pro gladio: *Puppis* pro navi: *Rota* pro curru.

*Synecdoche Speciei* est, cum vox speciem propriè significans loco generis ponitur, ut: *Parricida* pro quovis homicida: *Zepheri* pro quovis vento; *Adria* pro quovis mari. Huc pertinet:

1. Cum numerus finitus pro infinito & magno ponitur, ut: *Plus millies* audiui; *Sexcenta* licet ejusmodi proferre. 2. Cum singularis numerus ut Species, pro plurali, ut genere usurpatur, ut: *Hostis* habet *nruros*, pro *Hostes*: *Romanus* praelio victor, pro *Romani*.

*Synecdoche totius* est, cum vox totum propriè significans pro parte ponitur, ut: *Aut Ararim* *Parthus* bibit, aut *Germania* *Tigim*, hoc est, partem *Araris* vel *Tigridis*, *Totus orbis* ardet bello, pro parte orbis.

*Synechdoche generis* est, cum vox genus propriè significans pro specie ponitur, ut: *Virtus* pro fortitudine: *Animal* pro homine. Huc pertinet, cum numerus pluralis, ut genus, pro singulari, ut specie, usurpatur, ut *Cic. Bruto*: *Nos populo imposuimus*, & *Oratores visi sumus*: pro *imposui* & *visus sum*.

Ad *Synecdochen Generis* & *speciei* refertur quoq; *Antonomasia*, Latine *Pronominatio* cum vel ex proprio colligimus commune, vel ex communi proprium, ut *Aristides* pro *justo*: *Thraso* pro *glorioso*: *Pænus* pro *perfido*: *Cretensis* pro *vano* & *mendace*: *Poëta* pro *Homero*: *Philosophus* pro *Aristotele*: *Servator* pro *Christo*: *Apostolus* pro *Paulo*: *Romulides* pro *Romano*: *Saturnius* pro *Iove*.



DE ELOCUTIONE.  
DE IRONIA.

41

**I**ronia est, cum per id, quod dicitur, intelligitur contrarium, ut cum quempiam virum bonum nominamus, quem malum esse indicare volumus. Ter. Heus bone vir, curasti probe. Virg. Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus.

Ad Ironiam alij referunt Antiphrasin, Sarcas-  
mum, Charientismum, & Asteismum.

*Antiphrasis* est, cum res ex contrario nominatur: ut, Bellum quasi minimè bellum ac bonum sit. Lucus quasi minimè lucens. Parca quasi nulli parcunt. Ludi in quibus minimè luditur.

*Sarcasmus* est hostilis irrisio, super jam mortuo, vel certè mox morituro, Sic milites Pilati illudebant Christo: Ave rex Iudæorum. Virg. 12. Æn. *Ut Virg. Eccl. 3.*

En agros, & quam bello, Trojane, petisti. *Parcig; Stavizisturne obji.*  
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me cienda memento.  
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.

*Charientismus* est irrisio cum amænitate mordax, vel etiam cum dura gratiosis verbis molliuntur, ut in illo Davi ad Simonem: Bona verba quæso.

*Asteismus* est jocus urbanus, vel irrisio urbana, sed plerumque longiùs petita; ut, cum Cicero generi sui parvam staturam vellet innuere, dicebat: quis generum meum gladio alligavit? *Wo will der Dux mit dem Hir.*

CAPUT VI.

DE AFFECTIONIBUS TROPORUM.

**A**ffectiones primariorum Troporum sunt quatuor: Allegoria, Catachrêsis, Hyperbole & Emphasis.

C 5

DE



## DE ALLEGORIA.

*Allegoria est Tropi ejusdem generis continuatio, ut in Metaphorâ: Nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult. In Metonymiâ: Sine Cerere & Libero friget Venus. In Synecdoche: Bovi trituranti non obturabis os, id est, Laboranti non denegabis victum. In Ironiâ: Heus bone vir, curasti probe. Sed in Metaphoris potissimum hæc affectio dominatur.*

*Allegoriæ Species sunt: Apologus, Mythos, Ænigma, Parcemia.*

*Apologus est, qui tribuit sensus, orationem, studia & mores hominum animantibus brutis, vel rebus inanimatis, Cujusmodi sunt Fabulæ Æsopicæ & similes: ut de membris humanis adversus stomachum conspirantibus, apud Livium. De arboribus petentibus regem, Judicium cap. 9.*

*Mythos est oratio ficta, ad veritatem relata, Cujusmodi sunt figmenta Poëtica de Prometheo, de Phaëronte, Dædalo, Icaro, Sirenibus, Harpyis, &c.*

*Ænigma est, quando obscurâ similitudine aliud rectè significatur, quàm verbis ostenditur, ut: Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me: quod dicitur de glacie ex aquâ concreta, & in eandem rursus resoluta.*

*Parcemia est dictum celebratum in populo, ut: Lupum auribus teneo. Surdo narras fabulam. Sus Minervam.*

DE



## DE CATACHRESI.

*Catachresis*, A busio, est Tropi durties, à communi loquendi usu recedens, ut: *Sperare* pro *timere*: *Minari* pro *polliceri*: *Parricida* pro eo qui matrem, fratrem, aut propinquum occiderit: cum *Matricida*, *Fratricida* non satis Latine dicatur.

## DE HYPERBOLE.

*Hyperbole*, Superlatio, est, quâ veritas superatur rei augendæ vel minuendæ gratiâ. Ejus Species sunt duæ: *Exaggeratio* & *Extenuatio*.

*Exaggeratio* Ἀυξήσις est, quâ res per tropum exaggeratur, ut: *Scelus* pro homine qui leve peccatum commisit. *Debacchari* pro convitiari. Item: *ocior Euro*: *tardior testudine*: *candidior cygno*.

*Extenuatio*, μειωσις, est, quâ res per tropum imminuitur, ut: *Erratum* pro scelere: *Lædere* pro occidere: *Attingere* pro vulnerare.

## DE EMPHASI.

*Emphasis* est, cum vocabulum adhibitum singularem habet vim & efficaciam, ut: *Incensus irâ accensus cupiditate*: *Forum aleatorium calefecimus*: *prodidi innoxium sanguinem*.



## CAPUT VII.

## DE FIGURIS DICTIONIS.

**F**igura est Elocutio, quâ oratio à recto & communi usu in elegantiores immutatur.

Ea est triplex: Dictionis, Sententiæ, & Amplificationis.

Figura *Dictionis* est, quâ Elocutio figuratur dictionibus aptè & jucundè resonantibus.

Consistit in repetitione verborum, vel eundem sonum habentium, ut *Epizeuxis*, *Anaphora*, *Epanalepsis*, *Epistrophe*, *Anadiplosis*, *Symploce* & *Epanodos*; vel dissimilem, ut *Paronomasia*, *παρηγμῶν*, *πολύπλων*, *Antanaclassis*, *Ploce*.

*Epizeuxis*, Latine Subjunctio, est ejusdem verbi in eadem sententia vehemens iteratio: ut *Virgil. Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum*, *Cic. pro Leg. Manil. Fuit hoc quondam, fuit proprium populo Romano, longè à domo bellare.*

*Anaphora*, Latine Relatio, est ejusdem vocis repetitio in principijs diversarum sententiarum, ut *Propert. lib. 2.*

*Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,*

*Vino sæpè suum nescit amica virum.*

*Anaphoræ* subjicitur *Poly syndeton* & *Asyndeton*.

*Poly syndeton*, Latine Iunctio vel Copulatio, est ejusdem Conjunctionis repetitio, ut *Cic. Me præ cæteris & colit, & observat, & diligit.*

*Asyn-*



*Afyndeton*, Latinè Dissolutum, est Conjunctionis copulativæ intermissio, ut, *Cic. 1. Catil. Abijt, excessit, evasit, erupit.*

*Epanalepsis*, Latinè Resumptio, est ejusdem vocis repetitio in initio & fine ejusdem sententiæ, ut *Juvenalis: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

*Epistrophe*, Latinè Conversio, est ejusdem vocis repetitio in clausulis diversarum sententiarum ut: *Cic. Philipp. 2. Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis charissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Authoritas hujus ordinis afflictæ est? Afflixit Antonius.*

*Epistrophæ* subjicitur *Homœoptoton* & *Homœoteleuton*.

*Homœoptoton*, Latinè similiter cadens, est cùm iisdem casibus finiuntur commata, ut: *Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis.*

*Homœoteleuton*, Latinè Similiter desinens, est cùm quæcunq; voces & verba simili sono in clausulis desinunt, ut: *Turpiter audes facere: nequiter studes dicere. Vivis invidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiosè.*

*Anadiplosis*, Latinè Reduplicatio, est ejusdem vocis repetitio in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ. *Virg. Eclog. ult.*

*Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,*

*Gallo, cujus amor mihi tantū crescit in horas.*

*Symploce*, Latinè Complexio, est ejusdem vocis repetitio in principio & fine diversarum senten-

tia-



tiarum, ut Cic. pro Milone: *Quis eos postulavit? Appius. Quis eos produxit? Appius.*

*Epanados*, Latine Regressio, est ejusdem vocis repetitio vel in principio & medio; vel in medio & fine sententiæ, ut Cic. pro Planc. *Gratiam qui refert, habet: & qui habet, in eo, quod habet, refert.*

*Paronomasia*, Latine Agnominatio, est cum dictiones significationibus diversæ syllabâ tamen aliquâ conveniunt, ut: *Virtus premitur, non opprimitur.*

*Παρηγμένον* Latine Derivatium, est cum voces junguntur, quarum una ab alterâ deducitur. *Attius: Is demum miser est, cujus miseriam nobilitas nobilitat.*

*Polyptoton*, Latine Traductio, est cum voces ejusdem originis variis casibus inter se consonant, ut Cic. de Amicitia: *Æquum est, ut qui prius introivit in vitam, primus exeat e vita.*

*Antanaclasis*, Latine Refractio seu Reverberatio, est, cum idem verbum nonnihil mutatum, aut mutatâ significatione repetitur, ut: *Jucundum est amari, si curetur, ne quid insit amari.*

*Ploce*, Latine Copulatio, est, cum vox repetita nunc personam, vel quasi personam, nunc mores aliamvè qualitatem significat, ut: *Ad illum diem Memmius erat Memmius, hoc est, erat sui similis, & iisdem moribus, nempe timidus.*

## CAPUT IIX.

## DE FIGVRIS SENTENTIÆ.

**F**igura Sententiæ est, quæ totam sententiam aliquo animi motu afficit. Con



Consistit ea vel extra colloctionem, ut: Exclamatio, Licentia, Inopinatum, Correctio Præteritio, Aposiopesis, Apostrophe. Prosopopæja, Mimesis. Sermocinatio. Vel in colloctione, ut: Interrogatio, Subjectio, Addubitatio, Communicatio, Occupatio, Permissio & Concessio.

Exclamatio, Græcè ἐκφώνησις, est figura sententiæ cum intentiore pronuncatione animi nostri motum testatur per particulam exclamandi expressam vel intellectam, ut Cic. O tempora! ô mores! Terent. Prô Deum atque hominum fidem!

Licentia, Græcè παρρησία, est, cum liberius aliquantò loqui audemus, quàm verecundia patiamur, ut Cic. pro Cælio: Dicam jam confidentius, quoniam audeo quædam fretus vestrâ sapientiâ liberè confiteri.

Inopinatum, Græcè παρεξέδοξον, est, cum aliquid præter opinionem accidisse ostendimus, ut Cic. Nunquam credidi fore, Judices, ut reo Scauro, ne quid in ejus judicio gratia valeret, precarer.

Ad Paradoxon refertur & Ἀδύνατον, quod fieri non potest, ut Virg. VI. Æn.

Non, mihi si linguæ centū sint, oraq; centum,  
Ferreæ vox, omnes scelerum comprehendere  
formas,

Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Correctio, Græcè ἐπανόρθωσις, est prioris verbi vel orationis revocatio. Terent. Heautont. Filium unicum adolescentulum habeo, Ah! quid dixi habere me? imò habui Chreme. Nunc habeam nec ne, incertum est.

Præteritio, Græcè παρελίψις, est, cum simulamus  
nos



nos aliquid relinquere aut omittere velle, quod tamen maximè dicimus, ut *Autor: Ad Heren. Non dico te à socijs pecuniam accepisse, non sum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depopulatus es: furta, rapinas omnes tuas prætermitto.*

*Aposiopesis*, Latinè *Reticentia* est, cùm sententiæ inchoatæ cursus reticendo, vel abrumpendo orationem revocatur, ut *Virg. 1. Æn. Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

*Apostrophe*, Latinè *Aversio*, est, cùm sermonem avertimus ab ijs, quibus cum loquebamur, & ad alium convertimus, quàm instituta oratio requirit, ut: *Cic. O me miserum! o infelicem! revocare me, tu Milo, in patriam per hos potuisti: ego te in patriâ per eosdem retinere non potero?*

*Prosopopœia*, Latinè *Conformatio*, seu *Personæ fictio* est, cùm alienam personam veluti oratione nostrâ loquentem fingimus, vel etiam rei mutæ & inanimatæ sermonem tribuimus, ut *Autor ad Heren: Quod si nunc L. ille Brutus reviviscat, & hic ante pedes vestros adsit, non hac utetur oratione? Ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis: Ego libertatem, quæ non erat, peperî; vos partam servare non vultis: Ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non curatis.*

*Mimesis*, Latinè *Imitatio*, est quâ alterius Personæ verba aut gestus imitamur, ut apud *Terent. In Eunuchis Phædria imitatur orationem Thaidis: At ego nesciebam quorsum tu ires: Parvola hinc est abrepta, eduxit mater pro suâ, soror est dicta, &c.*

*Sermocinatio* est, cùm certus veræ personæ sermo tribu-



tribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis. Ita multæ affinguntur multis Epistolæ & Orationes ab Homero, Livio, Salustio & alijs.

Interrogatio, Græcè ἐρώτησις vel ἐρώτημα, est, cum quærimus aut sciscitamus sine responsione nostrâ, ut: Cic. Quousque tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ? id est, diu abuteris.

Subjectio, Græcè ὑποβολή, est cum ipsi interrogationi nostræ respondemus, ut Cic. pro Syll. Cur dixisti testimonium in alios? quia coactus: cur damnati sunt? quia creditum est.

Addubitatio, Græcè ἀπορία seu ἀπαπόρησις, est cum animo pendemus, nescientes quid è duobus aut pluribus dicendum nobis atque agendum sit: ut Cic. pro Rosc. Amerino: Quid primùm querar? aut unde potissimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populine Romani.

Communicatio, Græcè ἀνακοίνωσις, est, cum bonitate causæ nostræ freti, adversarium ipsum consulimus, aut cum iudicibus deliberamus, ut: Verri. ii. Nunc ego, Iudices, jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilij mihi profectò dabitis, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo.

Occupatio, προλήψις & προκατάληψις, est, cum quod nobis ab alijs objici poterat, anticipamus & diluimus; Partes ejus primariae sunt duæ ὑποφορὰ & ἀντιυποφορὰ, quibus tanquam secundariae interdum accedunt πρότασις & ἀντιπρότασις. Ex his.

D

πρότασις



1. Πρώτης est, quâ persona rogans innuitur, ut Cic. pro Archiâ: *Quæret quispiam, quid?*

2. Ὑποφωρὰ, quâ ipsa objectio continetur, ut: *Illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istane doctrinâ, quam tu tantopere laudibus effers, eruditi fuerunt?*

3. Ἀντιπρώτης, quâ responsio innuitur, ut: *Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen certum est, quod respondeam.*

4. Ἀντιυποφωρὰ, quæ est objectionis solutio, ut: *Ego multos homines excellenti animo & virtute fuisse & sine doctrinâ, naturæ ipsius habitu propè divino per se ipsos moderatos & graves extitisse fateor, &c.*

Permissio, Græcè ὀπιτροπή, est, cùm quædam non explicamus; sed æstimanda auditori relinquimus, ut: Cic. pro Ros. *Quæ posita sunt in suspicionibus, de quibus si cæpero dicere, pluribus verbis sit differendum: ea vestris ingenijs, iudices, conjecturæque committo.*

Concessio, Græcè παραμολογία, est, cùm aliquid adversario vel auditori largiamur, ut majus obtineamus, & reliqua magis exaggerari possint, ut: Cic. Verr. v. *Sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum vitiorumq; omnium princeps: At est bonus imperator, & felix, & ad dubia Reip. tempora reservandus.*

## CAPUT IX.

## DE FIGURIS AMPLIFICATIONIS.

**F**igura Amplificationis est, quæ auget orationem, & longiorem atque ampliorem efficit. Ea oritur



tur ex locis Dialecticis, puta Definitione, Toto, Parte, Causis, Circumstantijs, Comparatis, Repugnantibus.

## EX DEFINITIONE.

Ex loco Definitionis oriuntur Definitio, Interpretatio, Expolitio.

Definitio, Græcè ὁρισμὸς, est copiosior rei descriptio: ut Cicer. pro M. Marcello: Gloria est illustris & pervagata multorum & magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

Interpretatio, Græcè ἐπεξηγήσις, vel συνωνυμία est, cum multa verba penè Synonyma conjungimus, aut orationem oratione exponimus. ut Cic. 2. Catilin. Abijt, excessit, evasit, erupit. Item: Non feram, non patiar non sinam.

Expolitio, Græcè ἐξεργασία, est, cum eandem sententiam commutatis verbis explicamus, ut Virg.

Quid puer Ascanius? superatne? & vescitur  
aura

Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat  
umbris?

## EX TOTO ET PARTIBUS.

Ex loco Totius & Partium oriuntur Assumptio, Sententia, Epiphonema, Noëma, Distributio, Congeries, Incrementum.

Assumptio, Græcè προλήψις, cum ad aliquid definitum, adjungimus id, quod est infinitum aut latius patens, id est, quoties de specie loquentes Genus assu-



mimus, ut: *Omni quidem ætati fæda est libido, perùm senectutis multò fædißima.*

*Sententia*, Græcè  $\nu\acute{\omega}\mu\eta$ , est pronunciatum, continens præceptum de vitâ & moribus, aut dictum de aliquo vitæ casu, ut: *factura nulla major est, quàm temporis. Injuriarum remedium est oblivio,*

*Epiphonema*, Latinè *Acclamatio*, est sententia ad rei narratæ & explicatæ fidem adhibita, ut *Virg. 2. Georg. Adeò à teneris affuescere multum est. Lucret. lib. 1. Tantum religio potuit suadere malorum.*

*Noëma*, Latinè *cogitatio*, est allusio ad sententiam seu locum communem, verbis exinde sumptis, ut quæ non dicimus, intelligi tamen velimus. ut *Cic. pro Sext. Roscio: Opprimi me onere officij malo, quàm id, quod mihi semel cum fide impositum est, aut propter perfidiã abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Fit  $\nu\acute{\omega}\mu\eta$  hoc modo: Decet bonum virum opprimi onere officij malle, quàm id, quod ei semel cum fide impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.*

*Distributio*, Græcè  $\mu\epsilon\epsilon\lambda\lambda\mu\acute{o}\varsigma$ , est, cùm totum aliquid deducendo per Partes latiùs explicatur; uti cùm genus in suas species, aut integrum in sua membra distribuimus. *Cic. pro Milone: P. Clodij mortem æquo animo ferre nemo potest. Luget Senatus: mæret equestris ordo: tota civitas confecta senio est: squalent municipia: affliantur Coloniae: agri denique ipsi tam beneficium, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

*Congeries*, Græcè  $\sigma\upsilon\nu\alpha\theta\epsilon\gamma\iota\mu\acute{o}\varsigma$ , est, cùm coacer-

van-



vantur dictiones res diversas significantes, ut Terent. *In amore hæc omnia insunt vitia: Injurie, suspiciones inimicitie, inducia, bellum, pax rursus.*

*Incrementum, Græcè ἀνάβασις, est, cum per gradus ab infimis ad summa imus, ut Cic. in Verrem: Facinus est, vincire civem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere.*

## EX CAUSIS.

Ex loco Causarum oriuntur Ætiologia, Translatio & Gradatio.

*Ætiologia, Latinè Causæ Recitatio, est, cum propositi alicujus causam statim subjicimus, ut Cic. de Senect. Ex hac vitâ ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam è domo: Commemorandi enim nobis natura diversorium, non habitandi locum dedit.*

*Translatio Græcè μεταφοράς, est, cum causa transfertur & rejicitur in alium vel aliud: ut Cic. pro Marc. Tueri vitam Cæsar debes tuam, si non tuâ causâ, at Republicæ.*

*Gradatio, Græcè κλίμαξ, est, cum ita per gradus ab alijs ad alia transimus, ut semper proximum verbum repetatur, ut: Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

## EX CIRCUMSTANTIIS.

Ex circumstantijs oriuntur Hypotyposis, Propopographia, Ethopœia, Pathopœia, Chronographia, Topographia & Topothesia.



*Hypotyposis*, Latine Demonstratio, est cum rem luculenta narratione ita persequimur, ut quasi ante oculos posita esse videatur. *Cic. in Verrem*: Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit: Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat: expectabant omnes, quò tandem progressurus, aut quid acturus esset: cum repente hominem proripi, atque in medio foro nudari ac deligari, & virgas expediri jubet, &c.

*Prosopographia*, Latine Effictio, est descriptio personæ vel veræ, vel fictæ, à forma, ab habitu corporis, à moribus, & alijs corporis aut animi attributis, seu circumstantijs, ut *Polyphemi apud Virgil. 3. Æn.*

Monstrum horrendum, in forme, ingens, cui lumen ademptum.

Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.  
Lanigeræ comitantur oves: ea sola voluptas,  
Solamenque mali, de collo fistula pendet.

*Ethopœia* est expressio morum & affectuum mitiorum, qui Græcis dicuntur ἠθῶν, quales in comædijs exhibentur. Hujusmodi sunt Mansuetudo, Pudor, Miseratio, Favor, Delectatio &c.

*Pathopœia* est expressio vehementiorum & graviorum affectuum, qui Græcis dicuntur πάθῶν, quales in Tragoedijs exhibentur. Hujusmodi sunt Aegritudo, Dolor, Gaudium, Motus, Tristitia, Cupiditas, Ira, Odium, Furor, Invidia, &c.

*Chronographia* est apta descriptio temporis, quæ à Poëtis frequenter ornandi vel delectandi causâ adhibentur: ut, *Cum Nox, Dies, Aurora, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, aut similia ab illis describuntur.*



*Topographia*, est vera locorum descriptio: Veluti cum tota alicujus loci facies spectanda depingitur, ut: Verbis, Portus, Templi, Montis, Fluvij, Horti, &c.

*Hypothesis* est Poetica & fabulosa ficti loci descriptio, ut cum locus describitur, qui nusquam terrarum est, ut Regia Solis apud Ovid. l. 2. Metamorph. Sedes somni u. Metamorph.

## EX COMPARATIS.

Ex loco Comparatorum oriuntur: Σύγκρισις, Similitudo, Disfimilitudo, Imago, Parabola, Exemplum.

ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ, Latinè Comparatio, est quâ vel paria cum paribus, vel minora cum majoribus, vel majora cum minoribus conferuntur, idque magis ornandi, quàm argumentandi causa. Fit igitur tribus modis: Primò, cum paria inter se, conferuntur, ut Cic. pro Cæcinnâ. Si habeo actionem, si quæ me exire domo meâ cogit armis; habeo etiam, si qui me introire prohibuit. Secundò, cum à minoribus ad majora fit progressio, ut Ter. in Adel. Nam qui mentiri aut fallere inſuêrit patrem aut audebit, tantò magis audebit ceteros. Tertiò, cum à majoribus ad minora descenditur, ut: Parenti non obtemperat, & audiet alienum?

Similitudo, Græcè ὁμοίωσις, est propositæ rei cum re extranea confimilis collatio: qua res ipsa, qualis sit, commonstratur, ut Cic. pro Rosc. Comædo: Nonne ut ignis in aquam conjectus continuò resſinguitur & refrigeratur; Sic reseruens crimen in purissimam & castissimam vitam collatum statim, concidit & extinguitur.



*Dissimilitudo*, Græcè ἀνομοίωσις, est rei propositæ cum re extraneâ dissimilis collatio: quâ res ipsa, qualis non sit, ostenditur, ut, Cic. pro Planc: *Dissimilis est debitor pecuniæ & gratis*. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert, habet, & qui habet, in eo, quod habet, refert.

*Imago*. Græcè εἰκὼν, est cum à numinis, aut animantis formâ similitudo sumitur. Cic. Repentè te tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.

*Parabola*, Latine collatio, est longior similitudo, quàm imago, quâ comparantur res genere seu naturâ dissimiles. Quales sunt Parabola Christi, de Grano sinapis de Lucernâ, de Drachmâ, de Filio prodigo, de Sementem faciente.

*Exemplum*, Græcè παραδειγμα, est utilis rei gestæ vel tanquam gestæ ad aliquid persuadendum commemoratio. Historici vera, Poëtæ fabulosa exempla suppeditant. Cic. i. Catil. An verò Vir amplissimus L. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. privatus interfecit, Catilinam verò orbem terrarum cæde atque incendijs vastare cupientem, nos Consules persereamus?

### EX REPUGNANTIBUS.

Ex loco Repugnantium oriuntur Contentio, Commutatio, Communicatio, Paradiastole.

*Contentio* Græcè ἀντίθεσις vel ἀντίθετον est, cum per



per contraria verba, aut contrarias sententias amplificatur oratio, ut: *Hoc verò quis ferre posset, merites homines fortissimis viris insidiari: stultissimos prudentissimis: ebriosos sobrijs: dormientes vigilantibus?*

*Commutatio*, Græcè ἀντιμεταβολή seu μεταθεσις est, cùm transpositione verborum discrepantes sententiæ inter se permutantur, Cic. pro Archiâ: *Sæpius ad laudem atque virtutem natura sine doctrinâ, quàm sine naturâ valuit doctrina.*

*Communicatio*, Græcè συνοικείωσις, est, cùm res diversæ in uno subjecto seu personâ conjunguntur, ut: *Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.*

*Paradiastole*, Latinè *Distinctio* est, cùm ea, quæ unam vim habere videntur, disjungimus, ut: *Non sapiens, sed astutus: non fortis, sed confidens; non severus, sed malevolus; non parcus, sed avarus est.*

Atque hæ Figuræ potissimum exornant Inventionem. Dispositioni inserviunt: *Transitio*, *Rejectio*, *Digressio* & *Revocatio*.

*Transitio* Græcè μεταβασις, est cùm breviter monemus quid dictum sit, & quid dicendum restet: Cic. Phil. 7. *Satis multa de turpitudine: Dicam deinceps, ut proposui, de periculo.*

*Rejectio*, Græcè ἀποδιωξις, est cùm aliquid rejicimus tanquam indignum & intempestivum. Cic. pro Leg. Man. *Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, ut neque vera laus ei detracta oratione nostrâ, neque falsa afficta esse videatur.*

*Digressio*, Græcè παρέκβασις, est, cùm extra or-



dinem excurrimus ad tractationem rei alienæ, quæ ad utilitatem causæ pertinet, ut cum *Virgilius in fine lib. 1. Georg. digreditur ad prodigia, quæ Cæsari mortem denunciarunt. Et Cic. pro Archia digreditur in locum communem de doctrinâ artium & studio gloriæ.*

*Revocatio est, cum oratio revocatur ad propositum, sicubi longius videatur esse digressa, ut: Quorsum provehor? Redeo ad id, unde aberravit oratio.*

## CAPUT X.

DE TRIPLICI CHARACTERE  
DICENDI.

**H**Actenus tres Elocutionis partes vidimus: ex quibus resultat certum genus dicendi, quod *Character* dicitur.

*Character* est dictio similis rei, cujus nota est.

Is est triplex: Grandis, Humilis & Mediocris.

In quolibet characterè tria consideranda sunt: Res, Verba, & Compositio.

*Res, quo Grandi Characteri conveniunt, sunt sententiæ de Deo & rebus divinis, de rebus naturalibus, sed magnis & inusitatis, ut fulmine, tonitru, & similibus; de rebus civilibus, ut de pugnis, de virtutibus.*

Verba magnifici characteris sunt. 1. Translata. 2. Iuncta. 3. Soluta. 4. Facta. 5. Allegorica. 6. Propter affectum præcisa. 7. Iterata. 8. Obliqua. 9. Epiphonemata. 10. Poetica.

Compositio magnifica fit septem modis: 1. Ratione Numeri. 2. Magnitudine membrorum. 3.

Ora-



Oratione circumducta & accumulata. 4. Asperitate compositionis. 5. Ordine & structura tam verborum quàm particularum. 6. Figuris & 7. Concurſu vocalium.

*In humili Charactere* Res sunt tenues, convenientes Epistolis, Comœdiis, Carmini Bucolico, & omni rationi docendi.

Verba sunt usitata & communia, in quibus proprietas, perspicuitas, evidentia & probabilitas elucere debet.

Compositio est liberior à numerorum vinculis, magnitudinem membrorum, & concurſum vocalium vitat; Tropis & Figuris parcius utitur.

*In Mediocri Charactere* neque vis & copia est grandis generis, neque acumen humilis.

Verborum autem admittit lumina, multa etiam sententiarum; Numeros adhibet, sed crebrius, quàm humile, verecundius quàm grande.

## CAPUT XI.

## DE MEMORIA.

**M**emoria est cum rerum inventarum collocatarumque tum verborum pronunciandorum firma animi perceptio.

Ea est duplex: Naturalis & Artificiosa.

*Naturalis* Memoria est vis seu facultas animi, acceptarum rerum servatrix & depromptrix.

*Artificiosa* Memoria eadem est, quæ naturalis, sed arte & industria humana confirmatur & augetur. Id fit variis modis:

1. Lo-



1. Locis & imaginibus, quæ animo conceptæ res dicendas in memoriam revocant.
2. Temperatâ victûs ratione.
3. Moderato somno.
4. Convenienti corporis motu.
5. Medicamentis tam internis, quàm externis.  
*De quibus rei Medicæ periti consulendi sunt.*
6. Plenâ rei, quàm memoriæ mandare volumus, intellectione.
7. Diligenti observatione ordinis.
8. Frequenti repetitione, & exercitatione crebrâ.

## CAPUT XII.

## DE PRONUNCIATIONE.

**V**ltimam Rhetorices partem Pronunciationem & Actionem Latini, *ἰσχυροσύνη* Græci vocant.

Hæc est vocis & corporis ex rerum ac verborum dignitate moderatio.

Dividitur in conformationem vocis, & corporis motum.

*Vocis conformatio* est oris ac linguæ in sono conveniente, remq; ipsam maximè exprimente attemperatio.

*Corporis motus* constat vultûs moderatione & gestu.

*Vultûs Moderatio* est frontis, superciliorum, oculorum, ac totius obtûtus, ad animi sensus motusq; indicandos attemperatio.

*Gestus* est tum capitûs & cervicis, tum manuum ac pedum habitus concinûs & decorus. *Sed hæc potius imitatione, quàm præceptis discuntur.*

IN-





INDE X CAPITUM LIBRI PRIMI,  
DE INVENTIONE.

<i>De Naturâ Rhetoricæ.</i>	Cap.	1
<i>De Inventionē.</i>		2
<i>De Genere Deliberativo.</i>		3
<i>De Genere Demonstrativo.</i>		4
<i>De Genere Judiciali.</i>		5
<i>De Locis Causarum Communibus,</i>		6
<i>De Argumentis Inartificilibus.</i>		7
<i>De Argumentis Ethicis.</i>		8
<i>De Argumentis Patheticis.</i>		9

LIBRI SECUNDI, DE  
DISPOSITIONE.


<i>De Exordio.</i>	Cap.	1
<i>De Narratione.</i>		2
<i>De Propositione.</i>		3
<i>De Confirmatione.</i>		4
<i>De Confutatione.</i>		5
<i>De Peroratione.</i>		6

LIBRI TERTII, DE  
ELOCUTIONE.

<i>De Elegantiâ.</i>	Cap.	1
<i>De Compositione scriptoribus communi.</i>		2
<i>De Periodo.</i>		3
<i>De Numero oratorio.</i>		4
		De


ca res  
ernis.  
mus,  
ebrâ.  
nem &  
erbo-  
orpo-  
sono  
ente  
ne &  
culo-  
usq;  
m ac  
potius  
IN-





<i>De Dignitate Elocutionis, ac primò de Speciebus Troporum</i>	5
<i>De Affectionibus Troporum,</i>	6
<i>De Figuris Dictionis. 7.</i>	7
<i>De Figuris Sententiæ.</i>	8
<i>De Figuris Amplificationis.</i>	9
<i>De Triplici Characterè dicendi.</i>	10
DE MEMORIA.	11
DE PRONUNCIATIONE.	12

FINIS.



x.  
re  
ca  
vii  
zum  
Gel  
Ca  
bel  
Go  
2.  
19  
pa  
jus  
cu  
tri  
am





5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
Aetas Latinae linguae in quinque  
classes dividitur.

1. Antiqua et sordidior, quae Terentii  
aetatem praesente antecessit, cuius scripta pau-  
ca extant, Catonis, Baebii, Accii, Naevii,  
Ennii, et aliorum veterum Poeta-  
rum fragmenta, quae a Cicero, Marcello,  
Gellio, Macrobio, et aliis citantur. M.  
Catonatus anno U. C. 421 ante Romanum  
bellum Punicum, obiit anno M. C.  
605 principio 3 belli Punicum.

2. Perfecta seu Ciceroniana aetas, cuius  
in consuetudine in phrase et oratione  
partibus tutissime imitari possumus. Hu-  
ius aetatis optimi sunt auctores. Terentius,  
cuius Aetna a. C. 588 acta est,  
triennum post mortem Ennii Poeta, a. C.  
ante natum Christi 163. Cicero, qui fuit



Consul Romanus ante h. C. <sup>60</sup> 91. aō ante  
natum Christum 60, obiit aō ante nata  
Christi 40. Julius Cæsar, q̄ triumphatus ē aō  
ante natum Christū 42. Livius tempore  
nati Christi vixit. Virgilius 8 octennio an  
te Ciceronem Consulens natus ē obiit ann  
no ante natū Christi. Ovidius natus ē eo ipso  
anno, quo Cæsar triumphatus ē. Item Tibull  
lus, Propertius, Gallus, Catullus, q̄ statu  
gusti Cæsaris tempore una cum Ovidio  
vixerunt. Quintilianus floruit ur  
ca annorum à nato Christo 80, tempore  
miseriani Imperatoris.

3. Media ætas in qua sermo Latinus  
tas elegans et candor à Ciceronis oratione  
paullulum deflexit. Huius temporis optimi



ato anno  
e natali  
ty e ao  
tempore  
moran  
biit ann  
eo ioso  
n Tibull  
g Stan  
Avidio  
uit ur  
oreo  
tini pui  
atione  
s optimi

Autores sunt Plinius superior, cuius exstant viginti  
septem libri Historiarum, et Vespasianorum  
dicato Imperatoris dicato, ex quibus tamen rerum  
doctrinam et vocabula potius quam prosa  
sen sumendam esse, eruditi iudicant. Plinius  
junior prioris ex sorore nepos, cuius  
exstant decem epistolarum libri, pura  
brevis et arcta ~~elaboratione~~ elaborati,  
fuit discipulus Quintiliani, vixit tem-  
pore Traiani anno post Christum 100.

Ad hanc classen referunt Cornelium  
Tacitum, Justinum, Suetonium, Lau-  
dantium, cuius vere lactea candore et  
uberitate manat oratio. Divum Hieronymus  
num, qui tamen annis 400 post Christum  
floruit.



aetas


4. Negligentius et proterius locuta  
ut scriptores Caesarum, Capitolinus, Spartianus,  
Lampadius, Ammianus Marcellinus, It. D. Augustinus, Boetius, et alii  
im merito in hanc classem referuntur. Nam  
inter omnes hujus aetatis auctores elegantissime  
scripsit, et omnium Romanorum doctissimus  
fuit.

5. Apuleio, qui tamen ante Augustinum  
vixit, Sidonio, qui circa annum  
Christi 480. floruit, et similibus  
tur, qui affectatum sermonem <sup>em</sup> et prodigiosa  
osae figuras amplexi, cum summam  
ingenui laudem iudicarent, nihil prope  
et simpliciter dicere, plurimum a Graecorum  
conspicuitate et elegantia delectantur.




Postea secuti sunt barbari & Silesii,  
et Scythici Theologi: Thomas q  
ad Christi 1274 obiit, Scotus q ad  
Christi ~~1274~~ <sup>1278</sup> interiit et adignatiu  
Latini sermonis decq dno corruerunt,  
donec patrum nostrorum et nostra aeta  
te in Italia Laurentius Vallus, Theodorus  
Gaza, angelus Policianus, Pontanus,  
Bembus, Sadoletus, et in Germania  
Rudolphus Agricola, Erasmus, Philippus,  
Sturmius, et quidam alii barbaricum  
Lat. loquendi et scribendi genus ex scholis  
expulserunt, et studiosos ad imit. Gr.  
et puram simplicem perspicuam et elegantem  
te scribendi rationem reuocauerunt.


























































cum ipse ego et anima omnia ibi opta ope ablati  
a natura agri istuc.

Tu in me ita es, homo, in te ut ego, et la sic te amo, a: huius  
ego,  
sic.









B.I.G.

Farbkarte #13

JOHANNIS KIRCHMANNI  
RUDIMENTA  
RHETORICÆ,

*Jam antè M d 89*

Pro Schola Lubecensi,  
Nunc denuò

*In aliarum quoque Scholarum  
usum excusa.*



*Mattias ab  
Alpenleben.  
Ho M D G LW  
incepi d. 23.  
juli.*

BRUNSVIGÆ  
Typis Christophori Friderici  
Zilligeri, ANNO 1650.

